


translationis Alhazeg, & non inueni in eis diuersitatem nisi paruam in dictionibus. In intentione uero non inueni in duabus translationibus diuersitatem omnino, & propterea quod est impossibile, ut utraque diuersitates simul aggregentur, scilicet diuersitates quae sunt propter diuersitatem duorum lunariu, & propter reflexionem orbis reuolutionis, tunc necesse est, ut unamquamque earum singulariter ponamus per se, & ponemus eam secundum maius quod erit, & de monstrabimus quantitatem quae ingreditur ex ea de appropinquatione in continuatione uera. Ponam ergo deferentem circulum a b g circa centrum d, & centrum orbis signorum punctum e



& orbem reuolutionis circulum 3 h circa centrum b, & protraham a centro orbis signorum lineam contingentem orbem reuolutionis super punctum 3 quae sit linea e 3, & sit luna super punctum 3. Et continuabo centrum orbis reuolutionis cum centro orbis signorum per lineam b e, & centrum orbis reuolutionis cum puncto 3 per lineam b 3, & continuabo iterum centrum orbis reuolutionis cum centro deferentis per lineam b d, propterea ergo quod possibile est, sicut diximus, ut inter duos medios duorum lunariu in hora continuationis uerae sit illud quod aggregatur ex maioribus diuersitatibus ambo, quod est 7. partes & 24. minuta, sequitur, ut sit angulus a e b duplum harum partiu quod est 14. partes & 48. minuta. Trianguli ergo b d e duo latera b d, d e erunt nota, & angulus eius d e b erit notus, oportet ergo ut sit latus eius e b notum, & erit notum

quodque duorum laterum trianguli b 3 e, b e, b 3 notum, & angulus eius b 3 e notus, ergo oportet ut sit angulus eius 3 e b notus. Exiuit ergo quantitas huius anguli 5. partes & 3. minuta, & iam ostensum est, quod eius summa, cum centrum orbis reuolutionis est super punctum e, est 5. partes & minutum unum. Iam ergo augmentatus est secundum angulum a e b duobus minutis, & illud est de quo non curat, cum non ingrediat propter illud de approximatione comprehensione spacii eclipsiu, nisi ualde parum. Et consideremus iterum quantitatem eius ingreditur de approximatione propter diuersitatem secundam, scilicet ex reflexione orbis reuolutionis. Ponamus ergo in illa eadem forma angulum a e b duplum maioris diuersitatis solae quae erit, & illud est 4. partes & 46. minuta, & ponamus lunam super propinquiorem propinquitatem orbis reuolutionis, cum maius, quod est de diuersitate propter reflexionem orbis reuolutionis, non sit nisi cum luna est in propinquiori propinquitate eius, & sit punctum, ad quod reflexitur orbis reuolutionis, punctum t, & continuabo ipsum cum centro orbis reuolutionis per lineam t l b k, & sit luna supra punctum l, & continuabo ipsum cum puncto e, quod est centrum orbis signorum per lineam l e, propterea ergo quod angulus d e b trianguli d e b est notus, & unumquodque duorum laterum b d, d e est notum, erit linea b e nota. Et propterea quod unumquodque duorum laterum b e, e t trianguli b e t est notum, & angulus eius b e t est notus, erit angulus e b t eius notus, & propterea quod unumquodque duorum laterum b e, b l trianguli b e l est notum, & angulus eius e b l est notus, erit angulus eius b e l notus. Egreditur ergo quantitas huius anguli 3. minuta, & est maius quod est de approximatione in continuationibus ueris propter reflexionem diametri orbis reuolutionis, & illud est cuius uolumus declarationem.

LIBER QUINTVS. DE ACCEPTIONE instrumenti quo scitur diuersitas aspectus lunae.



LT propterea quod non est quantitas sphaerae terrae apud sphaeram orbis lunae, sicut quantitas puncti & centri, sit proportio diametri terrae ad diametrum orbis eius proportio sensata, & propter illud inter locum eius in orbe signorum per ueritatem & uisionem diuersitas sensata, & est diuersitas aspectus eius sensata, & est possibile scire eam secundum quantitatem longitudinis eius a terra, cum non sit possibile cognoscere longitudinem alicuius stellarum a terra, nisi per diuersitatem aspectus eius, si fuerit ei illud, & cui non est diuersitas aspectus, non est uia ad comprehendendam longitudinem eius a terra, sicut non est uia ad sciendam diuersitatem aspectus eius per computationem, nisi post scientiam longitudinis eius a terra, ueritamen est possibile extrahere diuersitatem aspectus